

scriptis virorum illustrium cap. 9. Braulionis Casarugustani in prænotatione ad lib. Isidori; Lucae Tudenis lib. 2. adversus Albigenfes cap. 7. de SS. Doctoribus.

S. Fulgentii landes.

M. Maxi.

1507 Neque unum protulit Hispalis Isidorum doctissimum; Fulgentium fratrem, Episcopum postea Carthaginensem, mox Astigitanum Hispali ortum. Idem testatur M. Maximus ad ann. Domini 594. Fulgentius nascitur Hispalis, patre exule in ea urbe. Ejus verò eruditionem commendat ad ann. Domini 626. Linguarum Græcæ, Syrac, Hebraicæ, Arabicæ, Latineque peritissimus Fulgentius, qui quatuor annis præfuit Ecclesiæ Carthaginensi, habetur. Exiguum, sed non asophum pignus extat, liber de Mitologia, quem huic nostro Fulgentio adscribit ejuldemmet ætatis integer testis Maximus ad Annum Domini 641.

Reccaredus Rex.

M. Maxi.

1508 Utriusque Doctoris, atque Leandri eorum fratris nepos ex sorore Theodora, & Leovigildo Rege, nempe Reccaredus Rex Hispali etiam natus est, auctore eodem M. Maximo ad annum Dom. 603. Reccaredus Leovigildo Hispali commorante nascitur. Neque verò alienum existimavi, Reccaredum Hispalensem sapientissimis patribus adiungere; quorum disciplinâ in veram doctrinam proventus, arcanam hæresim, quæ doctissimos alioquin homines in extremum ignorantie barathrum transversos egerat, Hispaniâ prorsus exegit, atque univèrsam provinciam veteri Catholicæ sapientiæ felicissimè restituit. Nationale Concilium Toletanum cogi ipse curavit, ubi & Arriana hæresis abiurata est, & in Nicænam fidei sanctè juratum à 72. Patribus, à Rege, Regina, univèrsaque Procerum frequenti Curia. Tantum ob facinus meritò à S. Synodo Catholice Regi Hispalensi in has voces proclamatum: Cui præsens gloria, & æterna, nisi vero anatori Dei Reccaredo Regi? Ipse novarum plebium in Ecclesia Catholica conquistor. Ipse mereatur veraciter Apostolicum meritum, qui Apostolicum implevit officium. Meritò à summo Dei Vicario Gregorio Magno lib. 1. Dialogo cap. 3. vera fidei prædicator nuncupatur. En igitur quales Tyri Colonia filios ediderit, Episcopos litteratissimos, Reges Apostolico munere, merito, sapientia gloriosissimos.

S. Synod.

S. Greg.

Hispalis per omnes ætates sapientissimas.

Arias Montanus.

P. Joannes Pineda.

P. Ludovicus Alcazar.

1509 Neque verò his illa tantis effoeta partibus, imò per omnes ætates fecundissima, nunquam desinit felicissima Christo ingenia progignere, squæ eruditum hoc sæculum, etsi adeò criticum, meritò reveretur. Benedictum Ariam Montanum Hispalensem, Regio illo Bibliorum opère, totque præterea doctissimis in eadem sacra Biblia Commentariis clarissimum: Joannem Pinedam, illustrato Jobo, locupletato Salomone, ornato demum Ecclesiaste, per univèrsam Dei Ecclesiam celebratissimum, cui quidem sapienti Doctori nostro, etsi optasse-mus maximè, parem tamen honoris, ac laudationis gratiam nunquam referemus. Ludovicum Alcazarem, mystico ingenio virum, & ad difficillima quæque divinarum Scripturarum ænigmata disquirenda, ac dissolvenda fausto exortum fidere; cui unum testimonio est Apocalypticum, grande opus, quo, univèrsos ille Joannes scrupos, scirpos, gryphos Christianus Oedipus, uti doctis quidem jure visum, feliciter expedit, rumpantur licet invidentiâ nocturni momi, semper ipsi inertes, semper tamen divina quæque opera car-P. Didacus peptes. Didacum Ruiz de Montoja, passim di-

ctum Theologum profundissimum, uberrimum, copiosissimum; unum heroicis Ecclesiæ temporibus parem; Athanasio, Hieronymoque perfimilem, & cujus doctrinæ debere poterat pro theatro Synodus œcumenica; ut facile persuadent ingenii & doctrinæ suæ monumenta in lucem edita. Prætereo plerofque alios similis notæ eximios Hispalenses Theologos.

Ruiz de Montoja.

1510 Sed ad aliam Tyri Hispaniensem Coloniam, & quidem Bæticam, gradum faciamus, atque eadem sapientiæ gloriâ nobilissimam demonstramus. Garnata ea est, tum humana, tum divina litteratura jam olim clarissima. Quod ad humaniorem attinet, eam urbem conditam fuisse ab Illiberia, auctor est, post alios, Franciscus Tarapha libro de Regibus Hispaniæ, ubi Illiberiam Hispani Regis filiam Herculis vetustioris, quem Tyrium diximus, fuisse proneptum scribit, ac proinde Isidis abnepotum. Hanc verò Isidem, eandem esse Minervam, auctores sunt Plutarchus lib. de Iside, & Apuleius lib. 10. Metamorphoseos. Igitur Illiberia à Minerva proavia diligenter edocta Illiberim olim, nunc Garnatam construxit, avitque illam sapientia excoluit circa sextam ætatem à Noëto Diluvio. Si vera hæc Illiberitanæ conditricis genealogia sit (quis enim in tanta vetustate quicquam affirmet?) Minervæ genus antiquissimum jactare poterunt Garnatenses Illiberitani: neque jactare frustra, cum re ipsa avitam præ se ferant, hodieque hæreditariam sapientiam. Pro humaniori hæc, argumento sit illud Strabonis testimonium, quod univèrsam de Bæticis ex ipsius l. 3. superius indicavimus.

Garnata, sive Granata Tyri Colonia Hispaniensis commendatur.

1511 Divinam autem doctrinam inter primos Hispanos Garnatenses ab Apostolo Jacobo, ejusque Discipulis accepisse, testes sunt Apostolicæ (ut fertur) antiquitatis, venerandæque religionis plumbei illi Granatenses libri à Cæcilio & Ctesiphonte Episcopis & Martyribus, ejusdemque Apostoli comitibus, accuratè conscripti, summa fidei Catholicæ mysteria continentes: testis sacra illa Montis Valparadisi spelunca, Jacobi Apostoli inter mortales adhuc degentis præsentia quondam illustrata, Discipulorum sanctissima vita, gloriosoque martyrio nobilis, millena fermè ac sexcenteno insuper tantorum librorum veluti foetu, sero jam, sed felici tandem nostri sæculi litterario hoc partu felicissima. De quibus libris nihil certi pronuntio, quoad usque à sede Apostolica recogniti & approbati.

Granata sapientissima.

1512 Neque verò antiquata solida illa doctrinæ gloria, nudum dein Theologiæ nomen retinuit Garnata; imò quam Evangelicam sapientiam maturius semel hausisset, constanter semper asseruit, atque posteritati consignavit clarissimis testatam argumentis. Primum illud extitit (ut fertur) quod sacra Garnatensis Synodus ex Apostolicis Discipulis S. Jacobi ad antrum illud doctrinæ coacta, dum Evangelicam sapientiam grandiori apparatu ab hostibus tueri consultant, proprio effuso sanguine firmius communiunt. Auctor Dexter in omnimoda Historia, Anno Domini 57. & 58. his verbis: Jacobi Discipulorum nonnulli sub Alogo Neronis Judice, dum ad Concilium Illiberi conveniunt, flammis exusti, suis spoliati, suorumque bonis omnibus, generose morientes, pro Christi confessione coronati sunt. Illiberi, ait, rem gestam, quâ plumbeæ laminæ indidem effossæ, in eadè Garnata.

Dexter.

Garnatensi spelunca accidisse produnt; nimirum vera est eruditiorum hominum sententia, qui totum illum terræ tractum Illiberis nomine habent. Deinde tertio ab illinc sæculo alteram, eamque frequentiore ex univèrsa Bætica Synodum Garnata concivit, ascitis etiam aliis reliquæ Hispaniæ Partibus, quorum gravissimis decretis rem Christianam per univèrsam Provinciam mirificè promovit.

Granatenses Præfules inclysi.

Osè. 2. 15.

Agarena barbaries.

P. Franciscus Suarius Granatensis commendatur.

Barcinonenses viri sapientissimi.

1513 Suspexere felicissima illa tempora Granatenses Præfules, doctrinâ ac sanctitate admirabiles, Cæcilius, Flavium, Orentium, Augustalem, Gregorium, Stephanum, Baddum, Pisinum, Eterium, Alam, Argibudum, Joannem, Centurionem, & complures alios ejusdem notæ clarissimos viros, quorum plerosque Garnatæ fuisse ortos, antiqua probat eorum temporum consuetudo, qua Clerus ex eademmet Ecclesia Episcopos ut plurimum sibi deligebat; monitò Osèe 5. 15. Dabo ei vinitores ex eodem loco: ubi Chaldaeus: Constituum ei inde gubernatores ejus: qui scilicet vinetum probè cognoscerent; quod id maxime temporis utilissimum esset, cum vinea Domini, vix dum firmata stirpe virtutis, in gemmas lactesceret. Invaluit consultissimus quidem mos, quandiu stetit cum Regno Ecclesiæ simul Hispaniensis felicitas; at postquam Tartareis effusa tenebris in Hispaniam prorupit Agarena barbaries, totumque hujusce Christi Sponsæ decorem defædavit turpissimè, atque Garnatensem, præ cæteris amoenissimam, felicissimamque Provinciam diuturniori oppressit Tyrannide; ut antiquæ fidei scintillæ extinctæ Arabicis consopitæ, usque adeò Christianis plurimorum Martyrum Garnatensium (quos in monte S. Helenæ supra Alhambram passos accepimus) cineribus oblectæ jacuerunt, ut non nisi post septingentos fermè annos tandem effossæ, tandem exufflata revixerint, atque altera prope surrexerit Phoenix ex proprio aliquando busto pulchrior, vegetior, vividior, sapientior Garnata.

1514 Quanto autem præpendio ea urbs pristinam sapientiam sibi reerit, etsi aliis possem loculentissimis testibus probare, unum tantum suffecerit protulisse, sed omni quidem exceptione majorem. Hic ille est Franciscus Suarius, nobilis Garnatensis, religione certè, ac Theologia nobilissimus, quatuor supra viginti justis Theologicis voluminibus confarcinatus, Societatis JESU ordinatissimum decus, primariis illis Scholasticæ Theologiæ Proceribus meritò adnumerandus, sive absolutissimam spectes sapientiam, sive locupletissimam eruditionem requiras, sive prudentissimum ac felicissimum opinionum consulas judicium; contra quæ insidiosè fortassis gannire, sed non tamen exertâ voce vel adlatrare ausi, qui splendida quæque profcindere invidiosè prægeftiunt.

1515 Finitiam litterariam nostratis Filie Tyri gloriam, si vel unius apud Celtiberos Tyriensis Colonie nomen saltem libaverim. Joannes Episcopus Gerundenfis libro 2. Paralipomenon auctor est, ab Hercule cum Tyrii fuisse conditam clarissimam Urbem Barcinonem. Eam porrò, præter alia ornamenta, jam olim litteratissimam testantur illustria monumenta, quæ viros numerant Barcinonenses doctissimos. Dexter quidem Barcinone-

natus in omnimoda Historia hos laudat sapientiâ insignes Præfules Barcinonenses: Severum Martyrem tum in Concilio Nicæno, tum etiam inde reversum Barcinonè Arrianorum hostem acerrimum: Prætextatum eximium Athanasii Alexandrini in Concilio Cordubensi simul cum aliis centum Patribus defensorum: Pacianum invictum prorsus Novatianorum malleum. His addit eundem Dexterum, Paciani Filium, pium, prudentem, ac doctum; sic enim vocat Maximus Casarugustanus in Chronico. Adice celebrem illum Paulinum Nolanum Episcopum, quem Barcinone fuisse natum, auctor est Jacobus Prades lib. 2. de Adoratione Imaginum cap. 7. Mitto alios qui exquisitâ Theologicâ doctrinâ Hispanas Synodos illustrarunt, Lampadium, Theodosium, Avitum, Nebridium, Agritium, Paternum, Emilam, Idalium. Recentiora sunt nobilium Barcinonensium illa nomina; Raymundus Pennafortius, vir Apostolicus, Theologiâ juxtâ, atque Jurisprudentia. Hugo doctissimus Cardinalis Raymundo coævus, uberrimo totius sacræ Scripturæ Commentario celebris. Guido Episcopus Helenfis plurimis non diu post scriptis clarissimus. Raymundus Lullius, quem mille condidisse ingeniosa volumina, auctor est Lauineta Parisiensis Doctor. Hæc nos levi nostra Minerva; plura conferent Barcinonenses.

Filiarum Tyri Hispaniensium tria hæc protulisse suffecerit exempla, ex quibus liceat cognoscere, reliquam Provinciam sapientissimis hominibus semper fuisse confertam; qui hac etiam nobilitatis parte à literario splendore desumpta Hispaniam Tyriensem præ cæteris Tyri coloniis illustrarunt. De ejus divitiis factis supra diximus: de religione abundè infra dicemus. Igitur his positus, ad sacra propero Hispaniensibus multum conciliatura splendorem; nec non Ecclesiastici verbis, quæ versamus.

SECTIO XXIII.

Avita, & eximia Hispanorum religio in Christum, & Deiparam accuratè illustratur ex Psalmis.

1516 Historice præmissa maximè deserviunt sacris vaticiniis, quæ ad præfixam thesim jam expendo; ex Regio Psalmo-grapho in primis.

Psalmo 2. 8. sic æternus Pater Filium humanâ indutum naturâ alloquitur: Postula à Pl. 2. 8. me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ. En in priori hemyftichio generalem propositionem de univèrsarum Gentium vocatione: ut enim S. Cyrillus in Catena: Pro gente una errante, S. Cyrill. & concitata Israel, Gentes omnes Christo adscriptæ sunt. Subtexit autem ex speciali prærogativa: Et possessionem tuam terminos terræ; Hispania emphaticè quidem, & antonomasticè, terminos terræ, appellans Hispaniam nostram, Austrialem præsertim; nam terminos terræ penes Gades collocarunt Geographi, & Poætæ, ut Sectionibus proximè antelapsis statuebamus. Porrò hoc vaticinium ad Hispaniam nostram reulit Sanctus Leander Ser. in Concil. Toletano III. & nonnulli Interpretes Biblicè periti. Hispaniam igitur, securam, integram, & illibatam Christi possessionem prædicat

dicit Vates, ob eximiam fidem, & pietatem Hispanorum. Et licet in universali illa narratione, Dabo tibi Gentes hereditatem tuam, Hispania contineatur; hujus tamen specialis fit mentio in favoris, & amoris singularis argumentum, uti in enodatione textus præmilimus.

1517 Eodem spectat Psalmus 18. qui est de Apostolorum prædicatione prælustis vaticinatio: In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum. Etenim hunc locum Tertullianus lib. contra Judæos cap. 7. de Hispanis Christum excipientibus intellexit, dum scripsit, suo jam tempore omnes Hispaniarum terminos Christo credidisse: nimirum signanter fines orbis terra Vatem expressisse putavit, quos in Hispania noverat. Consonat Tertulliano Venantius Fortunatus S. Isidoro æqualis, de S. Jacobo nostro canens:

Cultoris Domini totum sonus exit in orbem, Nec locus est, ubi se gloria celsa neget.

Ex quo Mariana in Op. de Adventu S. Jacobi in Hispaniam cap. 7. infert: Vides Jacobi doctrinam (id enim sonus est ex Ps. 18.) non se continuisse intra Judææ fines? Atque hæc carmina ex Hom. 3. Calixti II. in B. Jacobi laudem, ait Mariana, se desumpsisse. Eundem sensum addunt illa Act. 1. 8. verba: Eritis mihi testes (d. Apostoli) in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terra. Id est, usque ad Hispaniam, ut interpretatur S. Vincentius Ferrar. in Ser. de B. Jacobo ita præclare: Euntibus in Jerusalem Virgine Maria, & Apostolis, B. Jacobus, recepta ab eis licentia, venit in Hispaniam prædicans de Christo, quia Christus dixit eis: Eritis mihi testes in Jerusalem & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terra. Beatus Jacobus venit ipsum testificari a fratribus terra. Quod etiam firmari potest verbis Flavii Dextri in Chronico, Anno Christi 36. infra referendis.

1518 Emedullare juvat alia ejusdem Psalmi verba splendida nimis & magnifica, ex Ps. 67. v. 5. Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus, iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi. Sanctus Hieronymus, & Græci Patres Basilus, Theodoretus, & alii hunc versum ad conversionem Gentilitatis referunt. Sanctus Hieronymus ita interpretatur: Preparare viam ascendenti per desertum. Symmachus: Sternite viam ei, qui venit in terra inculta, sive inhabitabili. Nominem autem, ac symbolo deserti inculti, & inhabitabilis Gentilitatem in sacris litteris sæpè significari, multis suadet noster Alcazar in cap. 12. Apocal. vers. 6. ex Isai. 36. 1. & c. 41. 19. ex Hieronymo, Ambrosio, Gregorio, & aliis. Signatius autem Genebrardus, dum hanc SS. Patrum expositionem expendit, & illis subscribit, occasus nomine propriè sumpto, occiduas Orbis Gentes prædictas intelligit. Locum, inquit, nobis, qui versamur in Occidente, valde consolatorius. Concedite locum apud vos Deo, qui inequitat in Occasum, qui in vestras regiones Occiduas ascendit & vehitur: eum reverenter excipite. Rectissime quidem; sed reor, Davidis illa verba multo majori esse consolationi Hispanis, qui magis propriè sunt ad Occasum, quam suis Gallis: atque nostrum Occasum primum omnino fuisse, in quem, post Judæam, Galilæam, & Samariam, Christus ascenderet, testatur Dexter in Chronico ad

Pf. 67. 5. Conversio Hispania Gentilitatis.

S. Hieron.

Symma.

Genebr.

Hispania per occasum designata. Dexter.

Ann. Christi 36. Hispania prima Provinciarum mundi, post Galilæam, Judæam, Samariam in partibus Occidentalibus, Christi fidem complexa est: ejusque Gentilitas ad fidem conversa est, verè primitiæ cæterorum Gentilium. Igitur, post possessionem suam Christus primò super Occasum ascendit, triumphumque de morte & peccato Christiani in primis Hispani celebrarunt, ac triumphatori JESU triumphalem straverunt viam, juxta purpureum Vatem: Iter facite ei, qui ascendit super Occasum.

1519 Sibi consonat Pf. 71. qui Prophetia est de felicissimo Christi, mystici Salomonis, regno. Versu 9. ita prædixit: Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos Orbis terrarum. Titelmanus ex aliorum mente explicat: A mari Indico usque ad Gaditanum. Genebrardus, Bellarminus, & multi alii: A mari Indico, sive Orientali, usque ad mare Gaditanum, sive occidentale. Cumque posteriora illa verba, A flumine usque ad terminos Orbis terrarum, explicent priora; A mari usque ad mare, juxta Augustini interpretationem, perinde est ac dicere: Diffundetur prædicatio Christi per totum Orbem, signatim tamen per Hispaniam, quæ ad fretum Gaditanum terminus est orbis terrarum. Unde Theodoretus exponit: A mari Hesperia (sive Hispaniæ) ad locum India.

SECTIO XXIV.

Accuratius illustrantur verba Psalmi 44. V. 13. pro Hispanorum in Deiparam studio specialis, in ejus potissimum ab originali vitio immunitatem.

Et filia Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.

1520 Oronatus Poëta Reginam canit Deiparam; ejusque immunitatem antelapsis vericulis haud obscure cecinerat, ut latè effecimus supra à n. 277. modò illam utpote speciosissimam, summoque Regi charissimam, à nobilissimis quibusque Orbis Nationibus, Hispani in primis, avidissimè spectandam, ditissimisque ei oblati muneribus certatim colendam, antedicit. Verba primò extricabo, deinde pro Hispaniensis pietate signatim elucidabo.

Et filia Tyri: sive singulariter, ut in Hebræo est, filia Tyri; collectivè per Hebraicum sacris Auctoribus familiarem; quales illi: Filia Babylonis, filia Sion, filia Jerusalem. Filia Tyri quæ? Pf. 136. 8. Isai. 47. 1. Jere. 51. 33. Zachar. 2. 7. & c. 9. 9. ac sæpè aliàs. Quatuor hujus filia Tyri expositiones nobiliores lego. Prima contendit, eo nomine Tyriam Rempubliam intelligendam, Marianæ olim gloriæ studiosissimam, hoc est, non urbem solam Tyriensem, sed alias etiam Tyrii Regni urbes florentissimas, ejusdem cælestis Reginae cultui addictissimas. Anteradi (Tyriensis Provinciae antiqua est, & egregia urbs) Petrum Apostolum, cum Phœnicem Evangelii gratiâ perlustraret, Sacellum B. Virgini, adhuc viventi, ex ære Christianorum collato primum omnium Apostolorum erexisse, produnt Wilhelmus Tyrius lib. 22. de Bello sacro c. 3. Raphael Volateranus l. 11. Commentariorum urbanorum, Jacobus Vitriacus l. de Terra sancta c. 44. & alii. Vide quanta religio-

Genebr.

religione jam inde ab ipsa nascente Ecclesia Tyri filii Divam Genitricem Virginem fuerint complexi, ut primum ipsi Templum publico ex ærario Apostolica posterint auctoritate. Illud addendum, ad ipsam Tyri portam Orientalem, magnum hodie extare Lapidem, super quem Christus D. stetit prædicantem memorant, quando puella illa Tyria extollens vocem de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suscipisti. Ita Fretellus Antiochenus in Descript. Terræ sanctæ, Saligniacus in Itinerario Jerosolymitano, & alii, quos in Theatro Terræ sanctæ Christianus Adrichomius in Afer. n. 85. refert. Tyriam autem fuisse foeminam vel ipse testis est locus, in quo res peracta, ad ipsas nempe Tyri fores. Neque unam solam Tyri filiam, sed plures fuisse puellam illam imitatas, quæ B. Virginem à Virginali utero, à felicissimo lacte magnificè commendaverint, testis est Augustinus Tract. 10. in Joannem. Admiranda quædam animæ dixerunt: Beatus venter, &c. Nimirum filia Tyri vultum Reginae pulcherrimum jam inde hinc muneribus promereri religiosè certabant, ut vaticinium fortè complerent Regi Vatis tam eximiam pietatem prædicentis. Et filia Tyri: eamque secutæ reliquæ filie Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur.

Puella Tyria, quæ Virginem Mariam imitatur.

Titelma. Genebr.

1521 Deinde, multi, ac nobiles expositores sunt, qui hanc cælestis Reginae gloriam Tyri mæribus coërceri, minime patiuntur. Volunt ergo Vatem Synecdochicè, fuisse locutum, atque filiarum Tyri nomine cæteras intellexisse nobilissimas, atque opulentissimas Orbis Provincias, quæ Deiparæ gloriæ majori essent religione profecturæ. Synecdochem hanc hinc agnoscunt universè Basilus, Augustinus, Theodoretus, nec non & Isidorus l. 1. Sentent. c. 19. aliis ejusdè Tropi prolatis sacris exemplis. Et quidem florentissimas mundi nationes, Deiparæ cultui ab Heroicis Ecclesiæ temporibus addictissimas, indubium est; Syras, Græcas, Ægyptias, Africanas, Europeas.

Tertiò, non desinere, qui filias Tyri interpretantur non cives tantum Tyrios, sed illius etiam urbis illustres Colonias Marianæ jam olim gloriæ studiosissimas, nimirum Thebas, Carthaginem, Uticam, Lepm, atque Australem ferè Hispaniam. Ita Franciscus Maurottus intellexit, qui etiam cecinit:

Allatis donis vultum tuum in æde rogabunt Urbs opulenta Tyrius, Filiaque Tyri, Et dites populi illius. Hæc clara insula portu Urbes Leptim, Uticam vult genuisse sibi. Placuit hæc expositio Leoni Caltrio in lib. 1. c. 45. nec displicuit Lorino nostro in Comment. hujus Psalmi.

1522 Quartam ego præfero ex hac tertia deductam, nempe Hispaniensem Tyri Coloniam prædici, quæ totam ferè Australem Hispaniam jam olim incoluit. Quod ut exponam, obfero in primis; Colonias quasque ejusce Gentis, à qua sint deductæ, filias meritò dici, utriusque litteris commune esse. In sacris exempla obvia, apud Jere. 49. 2. ubi de civitate Rabbath; Filiaque ejus (coloniarum) igni succendentur. Ezech. 16. 27. Filias Palestinorum explicant Doctores Hebræi Rempublias à Metropoli ortas. Vide nostros Pradum ibi, & Del Rio Cant. 4. 14. Adde etiam exempla humaniora. Plato in Dialo. 6. de legibus, cum de colonia deducenda ageret, scripsit: Equidem civitatis hujus, quam condituri sumus, neminem

Filiam Deiparam Tyri Australis, Tyri colias, intellexit. Jere. 49. 2. Ezech. 16. 27. Filia dicitur colonia illius Gentis à qua sunt. Plato.

aut patrem, aut matrem esse aio, præter civitatem illam, quæ coronam mittit. Apud Herodotum lib. 3. negant Phœnicæ Regi Cambysi, contra Carthaginem se pugnatos; nimirum filiam: Non facturos sancte, si adversus liberos Herodotus; suos decertarent. Apud Curtium lib. 4. dicitur Tyrii à Carthaginensibus Parentum loco culti. Sanctus Augustinus 1. de Civit. Dei c. 4. vocat Troiam Populi Romani matrem. Marius Siculo lib. 10. de Rebus Hispaniæ cap. 21. scribit, Valentiam Coloniam esse Iberiæ, ac proinde in publicis litteris illam huic inscribere, Iberiæ matri; hanc illi rescribere, Valentia filia. Itaque naturâ duce, Nationes omnes dulcia matrum, ac filiarum nomina retinent, quibus originem memores conservent. Signatè Plinius de Tyri filiabus scribit lib. 5. cap. 10. Tyrius clara urbis genitrix, Lepti, Utica, & illa Romani Populi amula, terrarum orbis avida Carthagine, etiam Gadibus extra Orbem conditis. Filias ergo Tyri, sive filiam antonomasticè, Colonias in Hispania Tyrenses prædixit Vates, quæ omnibus aliis Tyri Colonis præcellat & antiquitate, & dignitate, & opulentia, & religione erga Vaternam Matrem; de quo supra copiosè diximus, à numero 1493.

1523 In muneribus. Munera dona esse nuptialia, docuit Ulpianus L. interdum, de verborum significatione. Græci hæc vel Θυσια, vel Ανακαλυπτερα, seu per syncope, de Anacalypteria, proprie dicunt. Sunt autem Anacalypteria, uti definit Suidas, dona, quæ Sponsæ dabantur & à viro, & à domesticis, & ab amicis, cum primùm, deposito flammeo, se retegebat, atque spectandam exhibebat. Vide Cælium l. 11. Lectio. Antiq. cap. 60. Morem verò hunc, ut nuptis munera ab amicis offerrentur, probant, præter alios Catullus in Epithalamio Pelei, & Theidos.

Quæ simul optata finito tempore luces Advenere, domum conventu tota frequentat Thessalia, completur laranti Regia coru. Dona ferunt præ se, declarant gaudia vultu. Claudianus de nuptiis Honorii, & Mariæ, Ne-reides munera novæ nuptæ apparantes bellissime pinxit:

Certatimque novis onerant connubia donis Cingula Cymothoe, &c. Videlicet. Celebris sunt apud Samothracæ nuptiæ Cadmi, & Harmoniæ, quas Dii, Deæque ornarunt muneribus, Ceres pane, Mercurius lyra, Pallas monili, peplo, tibis &c. Quæ etiam Diosdorus in suam retulit Bibliothecam lib. 6. c. 11. Quibus item muneribus tum Deæ, tum Aves Orphei nuptias coluerint, pulchrè canit Claudianus in Epist. ad Serenam, Ex hoc forsam more, sacrorum conjugum amici ornamum apparant sponfalitium apud Salomonem Cant. 1. 10. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Nam amicorum esse has voces mundum muliebrem sponsæ offerentium, communiter docent Patres. Vide novissimè ad ea verba Serlogum nostrum.

1524 Igitur Regius Vates pretiosa Reginae cælesti munera à Tyriis, à ditissimis quibusque Orbis Provinciis, ab Hispanis in primis deferenda prædicit, quibus lætissimas honorarent nuptias. Quod autem nuptialia hæc dona Tyro advecta fuisse, aut certè ab Hispanis Tyriensem opulentiam æmulantibus afferri Vates, commendatio ea est quæstuosissimum munerum, quæ & offerentibus digna essent, & Reginam

S. August.

Plinius.

Dona nuptialia.

Catullus.

Claudianus.

Canti. 1. 10.

Deipara data ab Hispanis munera.